Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1523
Quelle:
Copyright:

CODICES ASCETICI.

DCLV.

U. 358 Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. 105. f. paene quadrus luculente et eleganter perſcriptus, minio illuſtratus, et ab *Job. Alex. Braſſicano* quondam ad *Job. Fabrum* Antiſtitem noſtrum devolutus ita charactere majuſculo rubro inſignitur: *In Nomine Domini Hunc Modicum Libellum Smaragdus De Diverſis Virtutibus Collegit Et Ei Nomen Diadema Monachorum Inpoſuit Quia Sicut Diadema Gemmis Ita Et Hic Libellus Fulget Virtutibus.* Mox *Incipit Prologus Eiusdem Libri.* Ita: *Hunc modicum noſtri Operis Libellum de multorum dictis Orthodoxorum opitulante Chriſto collegimus Patrum.* &c. Succedit Elenchus C. *Capitum*, quorum I. *De Oratione* ſic init: *Hoc eſt remedium eius qui uiciorum temptamentis exeſtuat* &c. Collatus cum T. XVI. *Bibl. PP. Lugd.* p. 1305. vix quidquam variat. Ejusdem *Smaragdi Viam Regiam* indicavi *Vol.* I. P. 1. *col.* 1050. *Trithemius* in *Catal. illuſtr. Viror. Germ.* eum Abbatem S. *Michaelis in Saxonia* fecit, omiſit autem *Saxoniam* in *Catal. Script. Eccl.* idque merito; ad *Moſam* enim et Dioeceſin *Virdun.* pertinet, ut videre eſt in *Hiſt. liter. de la France* T. IV. p. 439.

II. *fol.* 64. Compilatio myſtica variarum Contemplationum et piorum Affectuum cum Praefatione